



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Gratvlatio In Honorem Et Lavdem Honestissimi
Doctissimiq[ue] Iuuenis D. Iohannis Oldendorphij Dani**

Bjørn, Jacob

Tvbingæ

VD16 B 5659

urn:nbn:de:hbz:466:1-36616




INNOCENTIUS
CREMENSIS
PAPAE
SEPTIMI

Th. 956.

8[~]

351





GRATVLATIO
IN HONOREM
ET LAUDEM HONESTIS-
simi Doctissimiq; Iuuenis D. Iohannis Ol-
dendorphij Dani, cum illi gradus Magisterij
Philosophici in celeberrima Tubin-
genſi Academia Año 1579.
25. die Februa: tri-
bueretur:

Exercitij & beneuolentiæ ergò Scripta
A

NOBILI ADOLESCENTE
IACOBO BIORNONE DANO, NOBILIS
& Magnifici Domini Biornonis Andreae, Domini in Stein-
holt & Biornsholm &c. Serenissimæq; Regiæ Maie-
statis Daniæ, & totius Regni Consiliarij fide-
lissimi filio, Anno ætatis suæ XIX.



TVBINGÆ,
Apud Alexandrum Hockium, Año 1579.

HEXASTICHON

IN HONOREM DOCTISSIMI
 ri D. M. Ioannis Oldorphi Dani, cum ipsi gratia
 Magisterij in inelyta Academia Tubingensi
 retur, scriptum à Nobili, singularis virtutis
 eruditionis Iuene Melchiore Viff-
 stand Dano, &c.

Premia nunc capies Oldorphi optata laboris
 Artis & in claro constitucere loco.
 Mentis non cupio Varios exponere mores.
 Laudes ingenij nec celebrare tui.
 Præceptorum etenim prudens Virumq; probauit
 Consensus: sed idem Vita peracta docet.
 Nobilis hic addas Verum Biononis amorem.
 Sinceroq; pium pectore iudicium.
 Cuius docta tuum memorat oratio laudes.
 Præclarum nomen condecoratq; tuum.
 Pergas ergo precor felici numine pergas
 Oldorphi: auxilium detq; iuuetq; Deus.

AD EVNDEM.

Felix Oldorphi decorat quem turba virorum
 Doctorum, ac patriæ duo chara lamina stirpis
 Maxima: Musarum quæ mollia castra sequuntur
 Huius te celebrat concinna oratio: carmen.
 Illius atq; tibi latos gratatur honores:
 Gratus sis restat recta ratione paratam
 Nec mutes Vitam: sed castis moribus ornes.

F. Petrus Hógius Danus, Nobilis Domini
 Melchioris Viffstand Præcep-
 tor, &c.

Legantissimum & omnium Doctorum
hominum iudicio comprobatum, est Ho-
ratij de Poëtica elogium:
Aut prodesse volūt, aut delectare Poëtæ.

Aut simul & iucunda & idonea dicere vitæ.
Peculiarem enim & mirificam quandam vim ef-
ficaciamq̃ ad formandos vitæ mores semper ha-
buisse Poësin creditum est. Etenim eius proprium
est bonos laudare, & malos vituperare: Ex qua col-
latione virtuti præmia & vitij suæ decernuntur pœ-
næ. Hinc alibi idem Poëta rectè canit.

Os tenerum pueri, balbumq̃ Poëta figurat:
Torquet ab obscœnis iam nunc sermonibus aurem.
Mox etiam peccatus præceptis format amicus,
Asperitatis & inuidiæ corrector & iræ.

Et Ovidius:

Adde quod insidiæ sacris à vatibus absunt,
Et facit ad mores ars quoq̃ nostra bonos.

Non solum autem vitæ hominis profunt, sed eti-
am delectant, & sanè non leuiter, carmina Poeta-
rum, insignibus virtutum præceptis & exemplis re-
ferta. Nec vt quidam Sciolij volunt, carmina anilia
figmenta, aut leues ac inutiles fabulæ sunt, ab ocio-
sis quibusdam stultæ delectationis gratia in Gy-
næceis & alijs λυχαῖς fallendi temporis causa exco-
gitatæ: Sed doctissimorum hominum inuenta acu-
tissima ad præcipiendum, obiurgandum, corrigen-
dum, reprehendendum, docendum, & laudandum
in primis vtilia.

Adde, quod hominum & ingeniorum magna di-
uersitas est: Quidam enim acuti, docti, & periti sunt,
A ij & ex

& ex longo orationis corpore facile rei propo-
summam colligere & percipere possunt. Quibus
verò non ita sunt ingeniosi & industrii, sed paulo
hebetiores. Horum ruditati & imperitiæ ut succu-
ri posset, & honestissima & utilissima quæcunq;
persuaderi paterentur, Poëta viri illustres carmina
inuenerunt, ut horum dulcedine homines capti, fa-
cile cum ipsis de rebus ac negocijs consentirent,
consilia saluberrima, quamuis sibi aliqua ex parte
contraria, admitterent. Ac ut Medici pharmaca
ex amariss. radicibus præparata, morbo aliquo per-
riculoso conflictantibus propinaturi, oram in
calicis melle aut saccaro illiniunt, ut ea ratione du-
cedine mellis capti, poculum alacrius exhauriant,
sic pristinae sanitati restituantur: Ita sapientes &
ingeniosi quicunq;, non semper aspera legum & veterum
præcepta adhibere, sed quibusdam etiam fabulis
Apologis, tanquam sale quodam, suam de rebus
uisissimis orationem condire, & homines de suo
cicio admonere voluerunt: Et sanè meo iudicio re-
ac prudenter admodum. Etenim mira quædam est
carminibus suauitas, voluptas & delectatio. Sum-
nim nihil aliud (ut Erasmus confirmat) quam
omnium disciplinarum delicijs ac medullis conde-
placenta, seu ex electissimis quibusq; flosculis ma-
lificium. Etenim præstantes Poëta ex omni genere
doctrinarum præcipuos locos illustrarunt.

Hanc laudem omnibus ætatibus Poëti con-
sam, & quidem verè attributam, ego illi luben-
linquo, nec eam carpere possum, nec debeo: Hoc
men mihi à doctis concedi posse nullum dubi-

est, oratoriam facultatem longè ei antecellere. Atque
ne quis me remoretur scrupulus, priusquam ad insti-
tuti mei propositum & caput futuræ orationis pro-
prium accedã, breuissimis id demonstrare conabor.
Certum est magnam quidem esse utilitatem & su-
auitatem, vt & antea demonstratum est, Poëseos: sed
longè maior eloquentiæ. Et si enim illa, oratio quo-
dam quasi sale perspergitur & vberior efficitur: ta-
men hæc præstat in eo, vt aliorum dicta & scripta
rectè intelligere, initia, progressus, & finem, cum
omnibus partibus atque ornamentis perspicere, sum-
mam rei sensu atque animo completi, adminicula, in-
termedia, decoraque omnia cognoscere possimus,
& tandem nosmetipsos cum opus fuerit, grauius,
purè, dilucidè, & appositè oratione explicare vlea-
mus. Quamuis autem hic non quidem à doctis, sed
à blateronibus & ineptis nonnullis hominibus no-
bis occurritur, qui impudenter garrunt, eloquenti-
am seu benè dicendi studium nihil aliud esse, quam
quendam fucum, accersitum ornatus inutilem,
verborum inanem strepitum, denique loquacitatem
quandã futilem, homine Philosopho indignam: A-
lij qui cultiores videri volunt, fateantur copiam ef-
se & facultatem de rebus dicendi luculenter & præ-
clarè, quocumque in argumento verseris, & quamcūque
rem susceperis exponendam, dignitate nunquam
carentem, sed commodum habere nullum. Hi omnes
tamen à scopo aberrant longissimè. Nam sine elo-
quentiæ ope & adminiculo omnes reliquas artes
mancas, mutilas & imperfectas esse, omnes eruditi
vno ore affirmant. Quis enim sapientiæ, doctrinæ

ue multiplicis vsus esset, nisi oratione elegantis-
pica, & decora singula exponerentur: Nullis pro-
fecto de rebus in Ecclesia & scholis homines recte
doceri & erudiri, nullae Republicae diu consistere
sine hac possent: Taceo, quod sola eloquentia homi-
nem dignum nomine suo facit. Sola enim ratione
oratione homo differt à brutis. Ore quidem omnes
præditi sunt, sed ad satisfaciendum nomini & ex-
pectationi hominum ulterius requiritur, ut quis ap-
tè de re proposita dicere & loqui possit. Eloquentia
igitur qui excolunt ab ea mortales quodammodo
Dij veri quæ homines efficiuntur. Vnde Diogenes
Cynicus quodam tempore lucernam accensam in
forum detulit clarissima luce, quærenti similis, Ro-
gantibus quid ageret? Homines se quærere ait.
Notans eos qui artibus hisce, maxime verò con-
suetudine differendi facultate præditi & expoliti non esse
nomine suo vix dignos. Magna insuper vis est elo-
quentiæ. Nam præcipuæ naturæ actiones & omnia
oratione gubernantur & expediuntur: adeo quæ
ut sine mediocri dicendi, vel scribendi facultate
modo, hoc præsertim seculo, vel Ecclesiæ, vel Republi-
cæ cum laude vsui esse possit. In Ecclesiâ, quæ
multorum ne dicam errores, sed potius furor, et
subinde oriuntur, perspicua oratione sæpe re-
batur, ac veræ sententiæ explicandæ sint. In ciuili
vitæ consuetudine, in forensibus actionibus, in
sultationibus, legationibus, & alijs his similibus
iam eloquentiam dominari manifestius est, quam
vlla demonstratione opus habeat. Non solum
eloquentiæ utilitates quodammodo in finitæ, sed

am eius suauitas aliqua ex parte expendenda erit.
Nemo quidem sani iudicij homo inficias ire potest,
summopere delectari homines & commoueri Poë-
si, quemadmodū multa hinc inde in fabulis Poëtarū,
maximē verò exemplum Tyrtæi ostendit. Hic Ar-
chimbroti filius, Poëta, & Tibicen, deformis qui-
dem aspectu, Olymp. 35. floruit. Lacones autē iam
ter à Messenijs victi, auxilium ab Atheniensibus
consulto oraculo petierunt. Athenienses ergo
Tyrtæum eis in contemptum dederunt, cum ludi-
magister esset, (olim enim ex seruis Domini suis
liberis domi præceptores constituere solebant, vt
palsim in Iure multis ex locis apparet) claudus,
luscus, & ab omnibus irrideretur. At ille carmine
militum animos ita inflammauit, vt tandem Mes-
sianam expugnarint. Quapropter ciuitate donatus
est, & in tanta porro fuit existimatione, vt quoties
cum hoste congressuri essent, eius Poëmata canerēt,
& domi Trichoriam saltationem ex eius præscripto
exercerent: Sed animos hominum magis moueri
& excitari eloquentia: vel ex hoc maximē perspi-
uum est, quod ipsi Poëtæ Mercurium Iouis &
Maiaæ filium *ἐπιμῦχον* appellarunt, quasi *ἑπιμῦχας* hoc
est interpretationis, quæ voce fit, autor esset: ac eum
Deorum nuncium fingebant: quoniam illius diuinæ
particulæ sermo, quæ in nobis est, mentis videlicet
index existit. Caput alato petaso, pedes talari-
bus muniens: dextra caduceum gerentem, la-
teri Harpagem accinctum habentem. Caput au-
tem huius alato petaso tectum, symbolum est, omnes
homines.

homines facultatis oratoriae ad mniculo indigent,
tùm in practica, tùm in theorica vita. Hac duplex
Occupatur enim vel ἐν ποίσει, quam pedes talaribus
inlignes denotant, vel ἐν γραφῆ, quæ media est inter
Theoricam & Mechanicam vitam. πρῶτος autem
ipsa πολιτικὴ, omne genus virtutum complectitur
vicioꝝ. Ad virtutis exercitationem alij metu
& formidine incitantur, iuxta illud:

* alij honestate ipsa

Oderunt peccare boni virtutis amore,

Oderunt peccare mali formidine Poenæ.

Honestatem caduceus significat, cui gemini
gæges implicati sunt: quando quidem prudentia
vires omnes moderatur. Metum & formidinem
Harpax denotat, lateri accinctus. Qui enim
tè rectè monitis obedire nolunt, hi vi compelluntur
sunt. Caduceo mortuos ducit atq; reducit, hoc
insontes liberat, fontes damnat: Somnos infert, an
adimit: Populum modò ad pacem, modo ad bellum
hortatur. Elegantissimè sanè hac pictura eloqu
tiæ natura & proprietas expressa est. Proprietas
enim oratoris officium est hortari, dehortari, la
dare, vituperare, accusare, defendere, persuadere,
dissuadere, ac quò velit quasi vi quadam hominum
animos impellere. Galli vero non Mercurio, sed
Herculi, vt prodit in præfatione quadam Luciani
& Alciatus in emblematis suis, quem sua lingua
mum vocant, eloquentiæ laudem tribuunt. Alii
huius simulachrum monstruosum & alienum repu
sentant. Fingunt eum senem esse, inculta, g
braçq; canicie, obrugata cute, & nigro admodum
lore, vt marinos nautas esse, compertum habent.

Etiammodi cum sit, tamen Herculis cultum gerit.
Amictus enim est exuuiis leonis, dextra clavam tenet, sinistra proutensum arcum præterdit, pharetra ab humeris suspensa: denique omni ex parte Hercules est. Verum quod in imagine maximè mirum est, senex ille confertissimam quandam hominum multitudinem auribus victis trahit. Vincula autem sunt tenues quædam catenulæ, linguæ extremo apici annexæ, auro, electroque fabricatæ, spirulis collaribus pulcherrimis similes. At hi tam exilibus vinculis ducti, ne de fuga quidem cogitant, tametsi facile possint: nec omnino resistunt, aut pedibus in diuersum renituntur, quasi resupinantes: sed hilares, læti que suum ductorem sequuntur, spontè festinantes omnes, ut studio perueniendi, laxa etiam vincula relinquunt, perinde ac tristes futuri, si eis eximerentur. Scitè admodum bene dicendi facultas in hoc Hercule expressa est. Senex enim fingitur, quoniam eloquentia non nisi matura ætate vires suas exerit: iuniorum mentes instabiles & volucres eam assequi non possunt. Senes autem & melius res intelligunt, vsuque edocti, commodius dicunt: Hinc Homerus Nestorem suum describens, ex eius lingua mel fluxisse dicit. Hoc idem denotant etiam catenule Herculis, quibus significatur ipsa orationis suauitas, qua homines capti, spontè sequuntur. Hac igitur instructi qui sunt, manus omnibus Tyrannis imperium in homines obtinent. Siquidem Tyranni hominum corpora & vitam constringere: animis adhibere nullam vim possunt: Hi vero dominantur in animis, quæque ipsis, honesta & vitæ videntur

B dentur

dentur, ea non facere modo alios sed etiam velle
gant: Illi inuitis imperant: hi volentibus: Illi
oderunt omnes, & odiosi sunt omnibus: Hoc
omne humanum genus beneficis, perpetua
um benevolentia comitatur. Hinc Plato in Ph
bo ait: Persuadendi facundiam artibus cunctis
præcellere: quippe quæ cuncta non vi, sed sponte
sibi subiiciat, Hæc (vt Cicero, multiq; alij
tores sunt) initio genus humanum in syluis & montibus
dissipatum, & bestiarum more vagabundum
nec ratione quicquam, sed viribus corporis plene
administrans moribus primùm sepsit, & ex
immanibus, mite reddidit & mansuetum. An
etiam varijs instructus est senex, vt nolentes &
luctantes, vi armorum, vel veriùs argumentorum
compescere, calumniatoribus & hostibus commo
obuiari, eosq; refellere possit. At his tam
non vtitur, sed pleriq; volentes obediunt. Quod
significatur Eloquētiam non tantùm studio
sed & rei militari longè ante cellere, eiusq; maior
in omni vitæ genere vsum esse. Nam mundus
cipuè ab his duobus ordinibus regitur & defici
tur, ab oratoribus (qui, vt Cicero inquit, pacat
bus primùm semper in Republica locum tenent
in toga & tranquillitate, & à militibus in
iplos tamen consilio & sententijs sapientum
torum gubernari opus est. Vt autem inter Aquilam
& Cygnum scribitur natium odium esse: Inter
ter hos duos ordines hominum, doctores & milites
perpetua certamina sunt de conseruatione Rep
Nam bellatores illi in aulis Regum & Principum

solos iudicant Atlantes esse, qui Rempublicam suis
humeris sustineant, & quorum robore ac viribus
Regum, Principum, ac totius Reipub: salus nitatur.
Sed palmam obtinent oratores, qui prudentia,
consilijs, eloquentia, moderatione animi, patientia,
humanitate, & reliquis virtutibus antecellunt,
cum milites tantum clava & arcu iuvent. Multi
quidem in Republica Romana magno cum applausu
populi triumpharunt: Sed nemo vnquam maiori
cum laude quam Cicero, qui armatos togatus, diligencia,
consilijsq; suis vicit. Itaq; non inconuenienter ab eo
pronunciatum: Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.
Atq; vt summatim dicam: tanta est (Cicerone in Oratore consentiente) oblectatio
in ipsa facultate dicendi, vt nihil hominum auribus aut
mentibus iucundius percipi possit: Quis enim cantus moderatæ
orationis pronuntiatione dulcior inueniri potest: Quod carmē
artificiosa verborum conclusione aptius: Qui actor in imitanda,
quam orator bonus in suscipienda veritate iucundior:
Quæ cum citra controuersiam ita se habeant, meritò principem
locum, primariamq; laudem, nobilissimo Deorum muneri
Eloquentiæ videlicet tribuimus. Atq; hæc ita esse, vel inde
satis probari potest. Videmus enim, & experientia quotidiana
testatur, Politicos, Generosos & graues Viros in consultationibus
& deliberationibus difficillimis, maximeq; momenti, non
tàm delectari, quam de necessitate soluto orationis genere
vti, eumq; pro præstantissimo viro haberi, qui ornatissimè
res sapienter mente conceptas eloqui potest. Si quis vero car-

B ij minibus

minibus sua consilia proponere & probare vellet,
pro histrione aut gesticulatore potius, quàm pro eo
qui diserta oratione se expedire posset haberetur.
Sed quid multis moror, hæc ars tanta est, vt si eam
laudare susciperem, nebulas potius obducerem,
quàm vt pro dignitate commendarem. Hæc est
illa vitæ dux, pacis comes, ocij socia, & iam bene
constitutæ ciuitatis quasi alumna. Hæc rerum de-
mina, quæ semper vrbis pacatisq; rebus tenuit
mas: Huius ope omnia inueta & cõstituta sunt: hæc
nos ad res gerendas erudit, & animos nostros ma-
suefecit, & calamitates tam ex inscitia ortas quàm
necessitate importatas distinxit, atq; illas cauere
has pulchrè ferre docuit, mortisq; pericula, & mor-
abigit. De hac igitur contumeliosè qui loquuntur
odio & supplicio minori digni non sunt, quàm qui
fana Deum immortalium violant. Nullæ etiã
Ecclesiæ, Scholæ, & Respublicæ sine hac subsistere
possunt: Imò nulla nec publica, nec priuata con-
suetudo & societas.

Hac igitur tanta eloquentiæ suauitate, vtilitate
atque necessitate allectus, cum hoc & Patris
meæ dulcissimæ salus & incolumitas, & Domini
mei parentis paterna, dulcissimæq; monita (quibus
non obtemperare nefas semper duxi) effugant
gigent, tum etiã quia magis animus meus huic
ius quàm reliquarum artium omnium, amore
gret, statim à primis studiorum incunabulis me-
tum oratoriæ facultatis studio addixi, eiq; animus
meum applicaui, & hoc egi, ac deinceps semper
æturus sum, vt si non integram & perfectam cog-
tionem, aliquam saltem vmbra eloquentiæ con-

qui possim: Sed omiffa longiori commendatione studij eloquentiæ, eiusq; cum arte Poërica collatione, tum etiam commemoratione consilij, cur studio oratorio potius, quam alijs studijs liberalibus aliquantulum operæ & laboris in hac mea Adolescentia tribuere autoritate mei parentis constituerim, ad ea quæ magis necessaria, & mei instituti propria sunt, me in præsentia conuertere malo.

Vetustissimus, laudatissimusq; mos est, iam multis ab hinc temporibus approbatus, amicis, quibus benè cupimus, rebus pro voto succedentibus, collatari. Qui mos vt antiquissimus: Ita etiam honestissimus, bonisq; omnibus convenientissimus. Nullum enim dubium est, simul cum homine hunc ritum cepisse, atq; ab antiquitate sacratum, & ad omnem posteritatem transmissum esse. Nihil etiam tam naturæ aptum & conueniens, quam amico, cui si non vis, tamen tam benè vt tibi ipsi velle debetis, in re prospera congaudere. Et vt iustum est aduersis dolere: ita etiam secundis seu prosperis exultare. Hinc Orator disertissimus ille Isocrates ad Demonicum iubet illos eligendos esse familiares, qui non solum aduersa doleant, sed etiam secundis non inuideant.

Cum igitur charissime & Doctissime Domine Iohannes, hodierno die ab Amplissimo collegio Philosophico Academia Tubingensis honores gradus Magisterij in te collati sint: Et amicorum proprium sit, ijs quos charos habemus, & quibus fauemus, quoties aliquo honoris gradu, vel in facultatibus, vel artibus ornantur, carmina gratulato-

B ij ria

ria scribere & dedicare, cum alia dona quibus gratificari possimus, non habeamus: Deceui veterum factum imitator non ociosus affectari, & gaudium ex tua felicitate conceptum, erga te conterraneum & amicum meum fidelissimum, aliquo signo decorare.

Versus autem à me non est quod expectes. Natura enim, vt paulò ante commemoravi, animus meus magis delectatur flumine orationis oratorum quàm Poëtico. Referam igitur breuiter nonnihil de causis consilij Maiorum nostrorum, cur certos gradus honorum, qui in discipulos conferri solent, instituerint: in quarum commemoratione, si non aliquo ingenij dexteritate singulari processerim, aut apposite satis de ijs scripserim, te conatu & studio meo perexiguo contentum fore, planè confido.

Nouitius enim sum atq; Tyro oratoriae artis, ex inscitiae tenebris pedem vix moui, promoti nihil. Benignè itaq; mecum agetur, si hunc meum conatum, tu & alij boni ac docti viri approbauerint. Quapropter consuetudine magis, quàm quòd necessarium iudicem, à te peto, mihi exigui temporis attentionem ne deneges, & hanc gratulationem adolescenti, rerum variarum experientia & iudicio destituto, candido animo perlegas: Neq; me arrogantiae stimulis, aut ostentandi ingenij causa incitatum in hanc arenam descendisse existimes; Sed debito amicis debito, & praesentium honorum, quibus amplissimus Senatus huius Academiae te hodie die ornare voluit, occasione adductum, scribere

munus in me recepisse; à quo facile abstinuissem;
nisi summa de tua singulari in me benevolentia
concepta spes me eò impulisset. Etsi autem, vt di-
ctum est, constitui, primo loco de consilio Maio-
rum, cur gradus honorum in scholis excogitârint,
agere: tamen cum necessariam scholarum, in qui-
bus bonæ artes, quæ honorum causæ sunt, propo-
nuntur & perdiscuntur, mentionem faciendam esse
intelligam: repetito paulò altiùs principio, de ijs
dispiciam, atq; de earum initijs, & progressu, pauca
quàm breuissimè referam.

Deus ter Opt. Max. omnium rerum creator,
conseruatorq; benignissimus, cum in principio
cælum, terram, maria, cæteraq; omnia, quæ in
ijs sunt creasset, vltimo loco hominem ad imagi-
nem suam formauit: nempe iustum, sanctum, &
in summa, nulla sapientia vel virtute indigen-
tem, eumq; in Paradisum collocauit, & Domi-
num cæterarum creaturarum omnium constituit:
Addito mandato, vt omnibus fructibus Paradisi
vesceretur, excepto ligno vitæ, vel arbore scientiæ
boni & mali. Deceptus autem astutia serpentis, cum
mandatum creatoris sui transgressus esset, non so-
lum ex horto voluptatis eiectus, sed etiam omni-
bus dotibus, quibus antea ornatus erat, priuatus,
æternæ damnationi, morti, & Diabolo subie-
ctus est. Hinc igitur humani generis calamitates
vniuersæ processerunt. Extincta ferè est omnis
notitia DEI, omnes virtutes labefactatæ sunt: In
sapientiæ locum successit inscitia & ignorantia:
in lo-

in locum iustitiæ successit iniustitia, cum homo
relapsus fuerit amans virtutum omnium, castitatis,
iustitiæ, veritatis, & aliarum, post lapsum ab his vir-
tutibus ad vicia degeneravit. Cum autem vidisset
homo, in quas calamitates se coniecisset, atque gra-
ter de suis malis doleret, nec in conspectum Dei
nirè ausus esset: Creator ultro eum in gratiam
cepit, ac consolatus est promissione venturi seculi
quod contritum esset caput serpentis, & iustiti-
am æternam restitutum.

Hic prima schola in paradyso iustituta est, fuit
hæc prima lectio & professio, quæ vnquam propo-
sita est à tempore conditi mundi, Præceptore vero
licet ipso Deo, qui Adamum discipulum suum
voluntate sua docuit. Atque ut alijs etiam Adam
cessoribus de hac ipsa promissione & doctrina
quid constaret, statim Dei instinctu artes & litteras
quæ ad huius doctrinæ conseruationem necessarias
requirebantur, inuentæ sunt. Testatur enim
phus Adamum duas tabulas lapideas collocasse
quibus annotauit hominum lapsum, atque promissi-
onem post lapsum factam.

Hæ tabulæ fuerunt velut templum ac Schola
vbi conuenire, & veram doctrinam percipere
homines solebant. Est itaque ipse Deus primus
& fundator scholarum. Qui igitur scholas con-
stituit, sciat se Deum ipsum, eiusque ordinationem
temnere. Sed sicut scholas Deus fundauit: ita et
vitam longæuam, ut essent de continuis patribus
onibus, de forma, collectione & defensione Ecclesie

testes, & propagatores, illustratoresq; doctrinae:
donec tandem in populo suo post educationem ex
Aegypto in terram Canaan patribus promissam,
pulcherrimum collegium Sacerdotum & Leuitarū
constituit, qui ad tempus doctrinae diuinitus pro-
positae, custodes & interpretes fuerunt. Postea
Prophetae magna discipulorum agmina secum cir-
cumduxerunt, ferè vsq; ad Christum. Christus
autem ipse verus Ecclesiae & scholae suae Doctor
ferè per quadriennium docuit: Ac cum in caelum
ascendisset, discipulos suos misit in mundum vni-
uersum, vt & ij prædicarent Euangelium omni crea-
turae. Hi & suos habuerunt scholasticos, & scho-
lam Ephesi habuisse Iohannem Euangelistam te-
stantur discipuli: Polycarpus, Papias & Ignatius:
Similiter Paulus varijs in locis docuit, auditoresq;
eius fuere Titus, Timotheus, & alij, vt ex Pauli
Apostoli Epistolis manifestum est. Omnes deniq;
alij Apostoli, hinc inde in diuersis plagis terrae pro-
fessi sunt. Post tempora vero Apostolorum Chri-
stiani scholas suas Alexandriae instituerunt, quibus
praefuerunt Pantaeus, Clemens, Origenes, Heraclas,
Dionysius, & alij viri, non in sacris tantum, sed &
profanis scientijs doctissimi, peritissimiq;, quos
Catechistas vocabant, à præcipua, & maxime ne-
cessaria parte institutionis. Basilius Alexandriam
officinam pulcherrimam vniuersae doctrinae nomi-
nat. Huic successerunt Anthiochena, Byzantina,
Caesariensis, multaq; aliae, quibus Deus idoneos
Doctores dedit. Postea hinc inde conditae sunt
scholae & monasteria, Academiaeq;, de quibus
postea monebo.

C Hostis

Hostis autem humani generis infensissimus Diabolus, cum semel hominem de summo dignitatis gradu deturbasset, & Deo iniuriam fecisset, insuper aduersus eum aduersumque in gratiam, & consolatione ac doctrina, Sathanæ maximè exitiosa, et confirmari, acerbior quàm antea vnquam fuerat euasit, ac qua ratione hanc ipsam doctrinam diuinitus traditam, & eius Professores seu defensores tollere posset, machinatus est. Incitauit ergò secundum hominem Cainum, vt fratrem suum Abelm, qui quasi custos huius doctrinæ post patrem Adam mortuum futurus erat, interimeret. Hoc factum cum perpetrasset, planè factus est, ac a patre suo religioneque vera defecit, alios cultus & ritus inuenit, sectamque propriam habuit, sed in seipsum & suorum maximam perniciem, vt sacri Canonice scripturæ testantur. Huius proles tanquam coruus malus ex malo ouo proueniens (κακὸν ἐκ κακοῦ, κακὸν ὄρνιθον, vt Græci loquuntur,) semper veram Ecclesiam contempsit, persecutaque est. Quapropter etiam cum omnes diluuiò perierunt, seruatis interea octo animalibus in Arca Nohe, quæ vera Ecclesia fuerunt, & inter hos vnus Apostata factus est: Cham videlicet, cuius posterii postea Ecclesiam affixerunt, eius Antagonistæ fuerunt. Durauit hoc ipsum certamen usque ad Abraham, qui cum sua posteritate grauissimas persecutiones passus est, quas omnes recentiores per longum foret.

Exhibito autem Christo & promissionibus Messia impletis, tum primùm Diabolus neruos committit, vt Ecclesias & scholas, quæ nobis veram

Christo doctrinam conseruant, & tutissimum contra eos, qui nos perdere conantur, propugnaculum sunt, extirparet. Quot pro Deum atq; hominum fidem ille Tyrannos, quot Hæreticos excitauit. Duodecim Christianorum primitiua Ecclesie persecutiones, si modò spectare velimus, abundè satis hoc demonstrant, quarum prima fuit Apostolorum, & horum auditorum Hierosolymis, qui à Iudæis exacti causa fuerè saluandorum Ethnicorum.

Secunda à Nerone mota, qui publicis edictis per prouincias Christianos mandauit excruciari, ipse eos bestijs subiecit, igni & ferro adiudicauit, & crudeliter in eos sauij: Cùm verò Ecclesia aliquantulum respirasset sub Vespasiano Imperatore, tertiam Domitianus in Christianos persecutionem molitus est, D. Iohannem Euangelistam in Patmum Insulam relegauit, & sub eo Timotheus & Dionysius Areopagita martyrio affecti sunt. Mox tamen sub Nerua Ecclesia vno anno quieuit. Traianus autem qui Neruæ successit, quarto persecutionem Christianam renouauit. Hæc persecutio annos XIII. durauit, ab initio leuior, postea sensim creuit, ita vt qui vel suspecti tantum de Christianismo essent, ad eadem per prouincias raperentur. M. Antonius & Comodus quintæ persecutionis Christianorū autores fuerūt, durauitq; hæc ipsa ad bellū Marcomanicū vsq;: vbi Romanæ legiones ab hostibus circumuentæ, cum extrema siti laborarēt, Christianis precibus ad Deū fulis, imbrem copiosissimū impetrarunt, & fulmina in hostilem aciem à Deo directa sunt.

C ij Vnde

Vnde hæc legio Christianorum postea fulminata
dicta est: Eoq; miraculo motus Imp. edixit, ne quis
Christianum religionis nomine deferret: Delator
impunè suam fateretur religionem, delator vero
comburetur: Seuerus Pertinax sextus Tyrannus
fuit. Septimus Maximus, Octauus Decius, Ner-
nus Valerianus, Decimus Aurelianus, Diocletianus
Vndecimus & sauisissimus, hic templa euertit, libros
sacros combussit, Christianos Magistratu abdu-
xit, & in seruitutem adduxit, omniq; genere sup-
pliciorum affecit, ac intra paucos dies 170000. Ch-
ristianorum trucidauit, & in vtrumq; sexum tam hor-
ribiliter grassatus est, vt sine lachrymis & pœ-
næ vix legi aut referri possit: Duodecim tres Maxi-
mianus, Licinius, & Maximianus simul Christianos
insectati sunt, quibus meritò e medio sublati, Con-
stantinus solus rerum potitur, qui certam & firmam
pacem Christianis dedit. Mortuo autem Con-
stantino, Iulianus Apostata, Christianos longè
& magis diuersa ratione quàm superiores Imp-
tatores persequi cepit. Nam cum supplicij eos ma-
ximè frangi, sed potius confirmari animaduertisset,
primò quidem Christianorum filijs literarum
studium interdixit, adijciens: *ἀνεπίστους μαθητάς βασιλέως*, pro-
prij pennis ferimur: existimans id quod res erant
ruditione sumnota, religionis doctrinam facile in-
struaturam. Videbat enim illos disciplinis instructum
plurimum gentilium superstitioni officere, nec
paganam religionem artibus defendi & tueri posse:
uit itaq; ne amplius Christiani erudirentur: hanc
ratione sperans fore, vt Idiolæ permanerent, cogit
cilius ad Idololatriam deficerent,

Facit

Fuerunt & alia insuper multae persecutiones Christianorum, sed harum exempli gratia in praesentia meminisse, sufficere mihi videtur. Non solum autem Ecclesias & scholas Diabolus, qui mille artifex est, Tyrannis vexauit, sed etiam per Hæreticos, qui praua & impia dogmata in Ecclesiam & scholas inuexerunt, horribiliter turbauit & deuastauit. Ex horum numero fuerunt Simon Magus, eiusque discipuli, Cerinthus, Eubion, Samosatenus, Arius, Manichæi, Tacianus, Carpocrates, Pelagius, & multi alij, quorum instituta, & quomodo refutati sint, his qui historias diligenter considerant, ignota esse non possunt, ac hic percensere nimis longum foret.

Ex his autem quae iam breuiter commemoravi manifestè conspicitur, quam mirabiliter Deus Opt. Max. Ecclesiam & scholas omnibus temporibus contra Diaboli ac Tyrannorum insultus & hæreticorum technas protexerit. Qui verò nostra tempora inspicere velit, non dissimilia exempla inueniet.

Hæ verò & similes persecutiones Christianorum horribiles causam præbuerunt secessibus & Monachatu: In hisce enim Ecclesiarum & Rerumpub. dilacerationibus, cum viderent homines peculiarem felicitatem esse abesse à Repub. & procul in aliqua solitudine degere sine familia & liberis, non spectare Ecclesiam, urbiumue excedia: Eremitis suam tranquillitatem gratulabantur, ac facillè hunc ordinem admirabantur, cum præ se ferret specimen eximiae pietatis, & cuiusdam quasi commercij cum Deo, longiusque à periculis abesset. Primus itaque post tempora Apostolorum Eremita (à quo postea Mona-

C iij. ch

chi processerunt) fuisse memoratur Paulus The-
bœus, qui Decij & Valerij persecutionem fugiens,
annorum XVI. adolescens, deserta colere cepit.
Ac inuenta in montis radicibus saxea spelunca,
quam iuxtâ molliter fluens riuulus, terram irriga-
bat, & effusis desuper ramorum vmbraculis, Palmæ
solis arcebat ardores. Captus itaq; amœnitate loci
vbi latere concupierat, habitare ibidem cepit, in tan-
tum, vt cum C XIII. vixisset aÑos, nusquam inde dis-
cesserit, hominemq; nunquam viderit: præterquam
die vitæ supremo, Antonium iam Nonagenarium
& suæ sectæ, diuinitus monitum, à quo humatus est.
Palmæ primò fructibus nutritus est, deinde per
annos LX. dimidiati panis fragmentum singulis
diebus comedit, coruo ministrante. Hunc secta-
tus est Antonius Ægyptius, Nobilib; ortus patris
sibus, & Christianis, qui scripturas etiam si litera
nunquam didicisset, memoriter tenuit: Parentibus
defunctis ipse annum agens circiter XX. cum so-
rore admodum paruula orbis relictus est, ac pro-
mum tum sororis, tum domus curam suscepit.
Sed cum in Ecclesia concionantem fortè audiret
set recitare dictum Euangelicum: Si vis perfectus
esse, vade, ac vende omnia bona tua, ac da pauperi-
bus, & veni ac sequere me: Ad se dictum illud ac-
comodauit, atq; quæ habuit hæreditate, vendidit,
& inter pauperes distribuit, sorori parua parte
seruata: Monasticam vitam primus in Ægypto
sectari cepit, sæpè eum de magnis rebus consultauit
Constantinus Magnus, sæpè etiam ad componen-
das controuersias vrbes petijt. Contra hæreticos

pro Astranasso acriter disputauit. Cum annum
XXXV. ageret, Eremum adiit, multas Dæmonum
insidias insuper & verbera passus est. Hinc cum
insolitudine XX. annos peregisset, vi eductus, Ab-
bas creatus, obstructis Monasterij foribus, manere
cepit, panem ac aquam pro victu habuit, circa occa-
sū solis prandere solebat, cum sæpè plures dies ieiua-
nasset: Vigilabat noctes integras precationi vacans,
cubabat humi, nec vacuiones, nec balnea curans.
Vnde colligitur huius Antonij tempore Monaste-
ria iam constituta fuisse. Habuit hic aliquot disci-
pulos, qui postea ipsius vitam & doctrinam ob-
seruarunt. Ac ita paulatim Monasteria, Monacho-
rumq; sectæ inualuerunt. Nam vt commercia cum
hominibus & consuetudinem habere deuitarent,
bona sua cognatis concedebāt, extra muros urbium
in agris solitarijs & hortis ætatem degebant: Sacras
ædes illic, quæ Monasteria vocarunt, constituebāt,
in quibus ab alijs separati, sanctæ & seueræ vitæ
mysteria obibant: Deum assiduè Psalmis & hymnis
colebant, & ante solis occasum nullum cibum gu-
stabant.

Progressu verò temporis, ij qui Ecclesias & scho-
las regere debebant, opulentiores facti, inter se
vanæ gloriæ & curiositatis detestandæ studio fa-
scinati, de primatu disceptare cœperunt, & pro pie-
tate, ac honesto vitæ instituto, quæ duo maximè illis
cure esse debuissent, de ambitione, luxu, helluatione:
in Aulis insuper Regum & Principum desplendore,
& politica gubernatione solliciti fuerunt: interim
doctrina Christi & Apostolorum quasi in prin-
cipio cursus. ferè collapsa est.

Cora-

Considerantes itaq; Monachorum dogma (quod
adhuc purum erat) homines sapientes, eorumq; vita
& disciplina exactè probata, labentem Ecclesie
disciplinam fulcire, atq; ad feueriorem viuendi ra-
tionem reuocare eosdem voluisse consentaneum est.
Quæ res cum à bonis mentibus, amore pietatis &
veræ doctrinæ flagrantibus, probaretur, citò Mo-
nachorum sectæ concursu magnæ multitudinis
creuerunt. Instituta igitur ita sunt Monasteria,
loco scholarum essent, in quibus homines de Deo
& alijs rebus vtilibus erudirentur. Quod cum
vtile Pietati & moribus publicis videretur, Magni
laudabili studio ea locupletarunt, ne deessent sum-
tus necessarij docentibus & discipulis, hoc possi-
simùm consilio, vt in ijs puritas cœlestis doctrinæ
doceretur, & propagaretur, & omnes bonæ & libe-
rales artes ad refutandos hæreticos, vel aliâs hinc
nū vitæ necessariæ perdiscerentur, atq; homines
morib; informarentur, vt casu necessitatis, cum opor-
esset in Monasterijs statim in promptu essent per-
sonæ idoneæ, quæ vtiliter & cum fructu Ecclesie
vel Reipublicæ præfici possent: Sicuti constat tem-
pore Leodij circa annum Christi 1473. nouem
Regum, XXIII. Ducum, XIX. Comitum
cum filios simul operam literis bonis nauasse, exco-
ptis Baronum, Nobilium, & aliorum liberis, quo-
rum numerus infinitus quodammodo fuit. Post
ea verò factum est, quòd (vt D. Bernhardus quo-
dam in loco queritur) Religio pepererit diuitias
& filia deuorarit Matrem. Nam eximia Regum
Principum, & aliorum munificentiâ locupletata
Monasterijs

cum accederent multi indocti & ignavi ad docendum, in tanta opum & voluptatum affluentia labores studiorum vicissim negligi ceperunt. Conuerterunt enim Monachi se ad studium defendendi primatus & Tyrannidis Pontificum, quæ tunc temporis non parum inualuit: Aliud & prorsus nouum veræ doctrinæ Christi contrarium dogma inuenerunt & fabricarunt, præsentis Monarchiæ Pontificum verius, quàm regno Christi aptum & conueniens, nullumq; veræ doctrinæ articulum ferè incorruptum reliquerunt. Introduxerunt enim adorationem statuarum, quæ Barbaris grata fuit, quoniam hac ratione regnum & potentiam illorum facilius crescere posse animaduertent. Irrepsit etiam in Ecclesiam opinio de oblatione corporis Christi faciendâ pro uiuis & mortuis, doctrina de lege, de peccato, & iustificatione hominis peccatoris coram Deo, falsa & erronea ab ijs tradita est, deniq; multi, infiniti, & in Deum contumeliosi & blasphemii errores in Ecclesia citra omnem pudorem cumulati sunt. Impudenter vitæ Monasticæ genus institutū esse prædicarūt, ad promerendam remissionem peccatorum, & iustitiam æternam consequendam. Finxerunt etiam vitam Monasticam esse statum perfectionis, ac longè eundem euexerunt suprâ alia vitæ genera à Deo ordinata. Onerarunt quoq; non leuiter cōscientias mandato confessionis, & laqueis implicarunt enumerationis omnium peccatorum: Absolutioni detraxerunt efficaciam omnem, cum negarunt prodesse eam sine meritis præcedentibus, & præceperunt manendum esse in perpetua dubita-

D tione

tionē. Præterea imposuerunt certorum operum
necessitatem confessis, & introduxerunt humana
autoritate expiationes peccatorum, quas satisfactio-
nes vocarunt pro peccatis ad promerendam libe-
rationem à pœnis æternis. Quæ omnia & singula
postea pepererunt & auxerunt alias novas opinio-
nes plenissimas mēdacijs & impietatis, de votis Mo-
nachorum, de applicatione Missæ pro viuis & mor-
tuis, de peregrinationibus ad loco sancta, de indul-
gentijs, de purgatorio, & similes alias superstitiones
inanium operum, discriminis ciborum, dierum,
vestium, ieiuniorum, & aliarū traditionum humana-
rum. Natae sunt & plurimæ Monachorū familiæ ve-
ræ pietatis Christianæ & disciplinarū, ac liberalium
artium pestes publicæ, & vt superstitio foecūda est,
& errorē ex errore parit: Ita vana *ὑποκρίσις* specie
in admirationē adducta, partu foecundissimo ita se-
se effuderunt, vt paucorum annorū spacio procreta
penē incredibili, sed varietate monstrosa in omnes
orbis terrarū angulos sese disseminarint, & in aulis,
gynæceis atq; vrbibus penē soli dominati sint. O-
nerarunt etiam multis ceremonijs Ecclesias, quæ
pietatem & artes omnes oppræsserunt. Interea
Pontifices novas leges, quæ ad stabiliendam ipsorū
Monarchiam & superstitiones iam introductas fe-
cerent, constituerunt. Cumq; nouo iuri ac legibus
inuentis, nouis patronis ac defensoribus, opus esset,
subitō exortum est duplex genus hominum: Ca-
nonistarum videlicet & Scholasticorū, quorum *ἡ
ὑπερβολή* & Tyrannidem Romanam propugnandam
sulce-

susceperunt ex canonum decretis. Hi confuto
novo doctrinae genere, ex male detortis scripturae
sacrae locis, eoq; confuso cum Platonice & Aristo-
telice disputationibus, & pontificum constitutionibus
labyrinthis insuper inextricabilibus inuoluto, parti-
culam doctrinae coelestis, quae adhuc supererat, plane
obruerunt atq; obrutam abolebant: Fuitq; totum
illud doctrinae genus attemperatum superstitioni-
bus pontificum. Huius doctrinae fundamenta Petrus
Lombardus Magister sententiarum contraxit in li-
bros IIII, quibus excolendis illustrandisque ita oc-
cupata fuit deinceps omnis Scholasticorum & Mo-
nachorum colluies, ut praeter illis Biblia sacra e man-
ibus, & penes ex animis illorum exciderint, atq; in
pulpitis & suggestis non Christi aut Pauli Apostoli,
sed Magistri Sententiarum nomen assidue sonuerit
& exauditum fuerit. Interpretes denique Thomas
Aquinas & Scotus, cum inter se diu multumq; cer-
tassent subtilitatibus, Ecclesiam ita quaestionibus
partim ineptis & stolidis, partim inextricabilibus
replerunt, ut utrumq; & Theologiam & Philoso-
phiam corruperint & polluerint, statuentes homi-
num animos hisce laqueis victos in obedientia er-
ga sedem Romanam retineri posse. Fuerunt itaq;
ij, qui Ecclesijs & Monasterijs, quae tum instar
scholarum erant, praesse debebant, nihil aliud, quam
Pontificum satellites, conscientiarum carnifices,
superstitiosis barbaricae architecti & antistites, om-
nis doctrinae liberalioris iurati hostes, Monasteriaq;
quae in tam salutarem usum extructa erant, latebrae

Dij hominum

hominum ineruditorum refertæ mendacijs & Ido-
latria.

Animaduertentes igitur optimi quidem ac pra-
dentissimi Viri, sic omnia in peius ruere, & Cleri-
corum ordinem Regum & Principum munificentia
turpiter abuti, scholas verè sic dictas constituerunt
& restaurarunt, eisq; à Græco σχολάζω, quod ocium
significat nomen indiderunt, Latini ludos vocarunt.
Non autè tale scholasticum ocium est, quale pleriq;
indocti Idiotæ sibi somniant. Putant enim schola-
sticos desidiosa tempus transigere, atq; prorsus nihil
laborare. Hi sane ita crocitant, quod nesciant distin-
guere inter ocium liberale, & illiberale, in super etiã
quid in scholis agatur, ignorent. Ocium aliud est il-
liberale & inhonestum, aliud liberale & honestum,
illud semper bono Viro indignum: Hoc illi dignissi-
mum & honestissimum, & hoc est scholasticorum
proprium, qui cæteris rebus omisis, artibus libera-
libus percipientis vacant. Suntq; nihil aliud schola-
quàm seminarium & officina Spiritus sancti, volun-
tate Dei ordinatæ, vt in ijs doctrina generi humano
necessaria de Deo, & alijs rebus honestis doceatur,
& discatur, ne extingatur notitia Dei inter homi-
nes, sed seruetur Ecclesia, & multi fiant hæredes
vitæ æternæ, & habeant homines alias honestas vir-
tutes ex artibus. Ex his, quæ paucis saltem deli-
bare volui, quanta sit scholarum & artium liberali-
um, quæ in his proponuntur, dignitas, manifestè
patet. Nulla enim vitæ pars neque publicis, neque
priuatis in rebus vacare hisce artibus potest. Breuius
ad munus Ecclesiasticum quod attinet, artes sunt
velut

velut adminicula & instrumenta, per quæ Theologia tractari debet & solet. Neque enim perspicue doceri, neque hæretici dextrè refutari sine his possunt. Adde, quod cum hebetes, & veræ doctrinæ ignari sine artium liberalium adminiculo ad Ecclesiam erudiendam accedunt, fit, ut quicquid sine iudicio pronunciant, rectum esse omnino putent: Atque hinc sæpenumero doctrinarum magna confusio oritur. Oportet igitur, ut quis prius discat, antequam doceat. Politicæ etiam nullo modo sine scholis & artibus diu constare possent. Qualis quæso esset consiliorum forensium confusio, & ut ita dicam barbaries, si non extarent eruditæ leges? Consuluntur itaque in omnibus magnis negocijs scholæ, & hæ pronunciant in causis, & ius dicunt. Quanto insuper præsidio destituta esset vita humana, si Medicinam nemo disceret: in quanta confusione vivendum esset, si nulla temporum discrimina, annotationes seu *χρονολογία* quæ ex Astronomia, Mathematicis & Historijs petuntur, extarent? Quanto ornamento privaremur, si Historia vitæ Magistra ignoraretur? Quod autem hæc omnia integra & incorrupta conseruantur, hoc totum scholis debemus.

Quamvis autem omnes illæ disciplinæ, quas paucis attingere volui, in scholis, ut vocant Trivialibus, iuventuti proponi possent: Attamen, ne tenera discipulorum ingenia, varijs & difficilissimis artibus statim in prima ætate obruerentur, & quodammodo in suscepto studiorum cursu impedirentur, sapienti consilio inuentæ sunt Academiae, ut essent

D iij generales

generales quasi scholæ, in quibus superiores facultates proponerentur, atque reliquæ artes fufius adultioribus & profectioris ætatis Iuuenibus explicarentur. Sed hæc de scholarum origine ac utilitatibus dicta fufficiant, nunc de gradibus honorum in scholis receptis, tum etiam de caufis, propter quas Maiores eisdem introduxerunt pauca referentur. Est enim hæc commoratio vna ex principalibus huius mei scripti partibus.

Maiores nostri non folùm, vt dictum est, Academiâs inftaurarunt, verum quia in Academijs plerique inſpectoribus, qui ipſorum ſtudia & mores regere poſſent, carent, ne ſuo quodam cæco more viuere ſtudioſi inciperent, ac per varias artes ſine diſcrimine vagarentur, ſapienter etiam de ratione certa, qua inter ſtudioſum metas diſcetes contineri poſſent, deliberarunt. Viderunt enim, adoleſcentes in Academiâs à parentibus vel amicis miſſos, arbitrari magnum dedecus eſſe, diu puerili more Logices artibus immorari, facile etiam iuuenilibus annis earum ſocietatem obſtrepere: Vel ſi hoc ab ijs non committatur, intempetiue tamen ſpe lucri, aut etiam ambitione quadam ad superiores artes ſiue facultates properare, nec recto tramite in ſtudioſum Philoſophicorum cognitione progredi. Vt itaque vnusquisque in ſua claſſe tanquam intra ſepta contineretur, & ne adoleſcentes imparati ac illotis, quod dici ſolet, manibus, in artes, & earum cognitionem irruerent: prudentes viri ad ſimilitudinem & imitationem aliorum in vita ordinum, gradus quosdam ſcholasticorum inuenerunt, & non ſaltem vnum, ſed varios in Phi-

q ſop hia

Philosophia consequendos, excogitarunt & instituerunt.
Ac primo quidem gradui nomen tribuerunt Baccalau-
reatus, à lauri baccis, eò quòd eis, quò hoc titulo digni es-
sent, corona ex lauri baccis còtexta imponi solebat.

Fuit autem hic gradus ceu ludus puerilis, ac sti-
mulus ad consequendos superiores. Hi diu multumque
in Logica, hoc est, dicendi artibus exercebantur,
nec prius Physicam, Ethicam, Mathematica, & alia su-
periora attingere audebant, nisi inferiores rectè per-
cepissent, & coronam ex baccis lauri confectam a-
depti essent. Postea verò Ethicam, Physicam, & reli-
quis, quæ eò pertinent artibus, operam novarunt, &
diu immorabantur, donec penitus eas cognovissent.
Hic denuò eorum explorabantur vires, & novus
honor ijs tribuebatur longè præstantior priori, cui
nomen indiderunt Magisterij. Huius gradus tanta
fuit (pro ut & hodie reputatur) dignitas, ut maxi-
mum quis ex Philosophia reportare præmium &
gloriam censeretur, cui hic titulus tribuebatur. Im-
ponebatur enim, (ut & hodie videre est) pileus
Magistralis, ornabantur manus aureis annulis, pro-
ponebantur codices seu scripta eruditissimorum
Philosophorum, proclamabantur Magistri & Do-
ctores Philosophiæ: Et quòd maximum, inter alia
etiam Candidatis potestas & licentia dabatur Phi-
losophiam in scholis interpretandi. Iudicabantur
enim tunc ex sententia & iudicio suorum Præ-
ceptorum, si non perfectam & omnibus numeris
absolutam, mediocrem tamè omnium artium perce-
pisse cognitionem. Vnde quæ huius gradus di-
gnitas eximia fuerit liquidò satis apparet.

Lau

Laudanda itaq; est Maiorum dexteritas, quod primum in scholis siue Academicis gradus & classes inuenerint, quibus tanquam caueis adolescentes includerentur, nec priusquam iudicium aliquo modo maturuisset, messem facere ante tempus permisissent. Etsi autem hæc satis sufficiens causa fuerit veteribus instituendi gradus & dignitates in scholis: Tamen adhuc grauiore consilij rationes sapientia antiquitati fuisse, nemini, qui modo leuiter, liberalium artium cognitione tinctus est, obscurum esse iudico. Etenim magnoperè commoueri & perturbari solent discipuli, dum considerant, quanto in contemptu sint literarum & artes bonarum: Multi etiam planè à studijs deficiunt, vulgi de studijs opinione peruersa fascinati, & se ad alias lucrosas artes conferunt. Cum ergò gloria inter externa & fortuna bona principem locum obtineat, suoq; splendore, oculos, mentesq; hominum mirificè perstringat, & incredibile sit, quibus ipsa quasi facibus nostras mentes ad res etiam difficilas aggrediendas, & maxima perferenda pericula, exigui sæpè fructus & commodi spe, famæ duntaxat ardore accendat, idq; stultitia in re, & negotio potius quàm in studiorum liberalium tractatione fieri soleat: Maiores ut haberent quod contemptui artium opponerent, & iuueniles animos ad amorem studiorum liberalium excitarerent, prædictos gradus, veræ laudis & gloriæ consequendæ stimulum, iuenerunt, candidatisq; hæc de causa pileum imposuerunt, ut eo contra calumnias tecti tutiq; essent. Honos enim, teste Cicerone, ab arte, omnesq; incendimur ad studia gloriæ, iacentiq;

ea semper, quæ apud quosq; improbantur. Adde quòd ex omnibus præmijs virtutis & laborum amplissimum est gloria: quæ breuitatem posteritatis memoria consolatur, & efficit, vt absentes adsimus, mortui viuamus: cuius gradibus etiã homines in cœlum videntur ascendere.

Iustū etiã est, vigiliarū & laborū penè Herculeorū, quos studia requirūt multiplices & infinitos, recōpensationē quandã esse. Non n. cuius contingit a dire Corinthū, omnisq; ad eruditionē aditus arduus est ac sudoris plenus; propterea quòd Musæ fingunt habitare in excelso monte, qui facilè conscendi non potest: quoniam via, quæ in cacumen deducit, angusta nimis, difficilis, petrosa & molesta est. Vt ergò milites, qui strenuè cum hostibus dimicant, vel dignitatem aliquam vel remunerationem pro labore consequuntur: Ita sapiens antiquitas gradus artium instituit, vt eorum, qui in Musarum castris sedulò militassent, præmia existerent.

Examina insuper & disputationes Candidatorum, quæ honores præcedunt, maximas adferunt vtilitates. Nam ingenia acuunt, & formant iudicia de maximis rebus, plurimùm ad benè dicendi, & perspicua oratione explicandires proposi res; & facundiã extemporalem comparandam profunt, studium, vigilantiam, ac sollicitudinem augent, ad omnia quæ traduntur, diligentius obseruanda & perdiscenda alacriores & excitatiores reddunt. Metuit enim sibi quisq;, ne quid se fugiat, quod tenere oporteat. Et quod maximum est, examina vanam illam persuasione, *φιλαυτιαν*, arrogantiam, & ignauiam, qui-

E bus

bus non est alia pestis, cum rebus omnibus, tum
maximè studijs perniciosior, ex pectoribus Iu-
uenum adimunt. Postremò, cum etiam plurimum
referat explorare, quales ad Ecclesiæ & Rerum-
publ: gubernationem admittantur, gradus sunt
instar testimonij publici de alicuius doctrina, vita,
& moribus. Ex his itaq; liquet, quibus de causis
Maiores nostri adducti, gradus honorum peculi-
ares in scholas introducere, & virtutis ac studiorum
amantes ijsdem ornare voluerint. Vt enim cer-
tos gradus ætatis hominum Natura ipsa constituit,
& vnaquæq; ætas sua adiuncta seu ornamenta ha-
bet, iuuenis seni honorem deferat, eumq; reueretur
& colat: Senex vicissim Iuuenem, quid rectum,
quid prauum sit moneat: Ita haud dubie Maiores
nostri certos in scholis & Academijs gradus ho-
norum cuiq; hominum ætati & studijs conuenien-
tes constituerunt. A Deo etiam ipso rerum omni-
um autore & gubernatore in Ecclesiastico, Poli-
tico, & Oeconomico statu, ac planè in omni vite
genere, ordo quidam personarum institutus est.
Maior est dignitas Episcopi, quàm Diaconi, vel
auditoris. Maior Magistratus, quàm subditi:
Maior parentis, quàm liberorum, Maior Patris fa-
milias quam familiæ: Sic etiam in Academijs conue-
niens est, ei qui plus potest, & diu, multumq; in artium
cognitione elaborauit, honorem aliquem præ alijs
deferre. Cum itaq; hic honestissimus mos decerni-
di honores grauissimis de causis & singulari acsi-
pienti Consilio à Maioribus inuentus & approba-
tus, passim in omnibus Academijs bene constitutus
receptus,

receptus, tum etiam in celeberrima Tubingensium
Academia ab Amplissimo Senatu multis abhinc
annis comprobatus, & sanctè solenniterq; serua-
tus sit; multis profectò nominibus felicitati huius
Academiæ gratulandum est. Ego quoq; non tam
meo, quam aliorum doctissimorum Iuuenum gratia,
qui in hac Academia ad honores & dignitates bene-
uolentia Professorum & Amplissimi Senatus aspi-
rare possunt, ex animo lætor. Ac in hac lætitia
animum meum subit tacita recordatio sapientissimi
de hisce honoribus iudicij, Reuerendi Viri D. Io-
annis Bugenhagij sanctæ recordationis, qui sum-
ma cum laude Ecclesias regni nostri sub pijsimo
Rege Christiano III, repurgauit: Hic sæpè dicere
solitus est, se ad nullos publicos & solennes Colle-
garum & Scholasticorum congressus accedere li-
bentius, & maiori cum hilaritate animi, quàm ad
eos, in quibus fit renunciatio seu collatio Tituli Ma-
gisterij Philosophici. Multum enim se aiebat com-
mone fieri de Collegarum consensu, conspectuq;
frequentis & attentæ Adolescentiæ, magna cum
suauitate cogitare de primis ætatis suæ studijs, de
emendatione post secuta, quæ veteri & horrida bar-
barie explosa, reddidit scholis fontes puriores di-
sciplinarum omnium, de initijs ac rudimentis so-
lidæ eruditionis, de artium Philosophicarum di-
gnitate & multiplici fructu, qui ex illis rediret
ad Ecclesiam præcipuè, quam harum artium præ-
sidio carere non posse, se tot annis vsu atque ex-
perientia didicisse, ac compertum habuisse, ci-
tra omnem hæsitacionem affirmare ausus est,
Argu-

Argu-

Argumenta quoque orationum, quae in publicis actibus recitarentur, dicebat multa sibi utilia & iucunda reuocare in memoriam, quorum recordatione in senecta sua plus reficeretur, quam vllis alijs rebus, licet preciosissimis. Inprimis autem videbatur se ac vehementer animo permoueri; & ad verum & solidum gaudium excitari, ob exploratam & certam spem animo conceptam, de puritate doctrinae post eius mortem in Ecclesia duratura, cum videret subinde prodire ex coetu scholasticorum aliquos bene institutos & instructos ingenijs, doctrina, facundia, & alijs dotibus, qui velut in vestigia docentum seorum succedentes, vsui & ornamento Ecclesiae futuri, & pro veritate contra Sophisticen pugnaturi essent.

Etsi autem ego cum plerisque Adolescentibus meae aetatis, graduum in scholis receptorum dignitatem & utilitatem minime perspicere possim: tamen ex huius Reuerendi Senis iudicio utcumque intelligo, ex graduum collatione in personas idoneas facta, maximam emolumentum Ecclesiae, Politij & ceteris vitae partibus accedere. Quod cum ita sit, singulari etiam laude & praedicatione digna est Amplissimi Senatûs Academiæ Tubingensis beneuolentia & amor, quo adductus non solum indigenas complectitur, & eorum studia promouet: Sed etiam eos, qui laude celebritatis & fama huius scholae moti, ab exterioris, & longè disitis locis, non sine magnis expensis & sumptibus in hanc scholam confluunt, pro innata erga externos pietate, & beneuolentiae ac humanitatis significatione, ad honores & dignitates prouehit.

Quam

Quamuis autem nostris officijs Senatū Ampli-
simum ob rerum omnium abundantiam non indige-
re sciam: Tamen hoc vltro pollicemur, nos Am-
plissimo huius Academiæ Senatui, inprimis verò
Magnifico Domino Rectori lubentes, pro vt ciues
Reipublicæ literariæ honestissimos decet, obtem-
peraturos, simul etiam de gratia Magnifico Domi-
no Rectori & Spectabili Domino Decano Facul-
tatis Philosophicæ referenda cogitatu-
ros: Patriam etiam nostram, amicos, & cognatos, qui plus nobis
præstare possunt, idem facturos planè confidimus.

Tandem verò, vt Doctissime & Humanissime
D. Magister Iohannes, me sermone meo ad te con-
uertam, & orationis meæ filium, quod longius qui-
dem quàm cogitarâm se, extendit (quamquam ea in
re quid longum esse possit non video) abruptam:
explicare satis non possum, quanto gaudio, quantaq;
voluptate perfundar, cum uideam te conterraneum
meum; doctrinæ & virtutis tuæ singularis aliquando
testimonium publicum in hac celebri Academiâ ac-
cipere, & quidem honorum iudicio, non cæco fauo-
re fortunæ, quæ interdum etiam improbis, quod nō
sunt meriti, tribuere, eosq; vt plurimum in altum ex-
tollere solet. Totum igitur hoc, quicquid est boni,
post Deum nulli, nisi Præceptorum erga te beneuo-
lentia, & tuæ ipsius industriæ acceptum, feras ne-
cesse est, vt nihil inde cæca illa & volubilis rerum
domina sibi vindicare possit. Gratulor igitur tibi,
& non tam tibi quam patriæ, parentibus, amicis, &
mihi ipsi. Tibi, quod honos ille, quo te semper di-
gnissimum præstitisti, aliquando tibi delatus sit.
Quamuis autem hæc dignitas amplissima sit, tamen

E iij spero

spero eam deinceps gradum quasi fore, per quem ad
altiores honores & dignitates conscendere & per-
uenire poteris, si modò euentus tuis virtutibus &
doctrinæ responderit. Patriæ verò, quod talem vi-
rum (si vita, quod opto, tibi prouentur) habitum
sit, qui ei maximo ornamento & præsidio esse pote-
rit. Patri quod talem filium habeat, qui patris hono-
rissimi & Doctissimi vestigijs insistat, & simul cum
bonis, virtutem, nomen & honorem, quasi iure heredi-
tario accipiat. Amicis tuis omnibus, quod cum
eos semper morum innocentia decoraueris, nunc et-
iam honoris claritate, & doctrinæ autoritate orna-
bis. Mihî ipsi verò collator, quod eo tempore Tu-
bingam venerim, quo renunciationi honorum olim
commilitonis mei charissimi in Libera Herluft-
holmienfium schola à Nobili Domino Herluft Tre-
Equite aurato & regni Daniæ Subadmiralio funda-
ta, interesse liceat.

Quod superest, Deum Opt. Max. Ecclesiæ &
scholarum, vereq; piorum & Doctorum coetuum
autorem & conseruatorem ardentibus votis & ge-
mitibus oro, vt hic nouus honos tibi in præsentia
delatus, vergat in sui nominis gloriam & propaga-
tionem, patriæ nostræ emolumentum, tuorum om-
nium gaudium, & tui ipsius salutē. A te autem Do-
ctissime Domine Iohannes, amice charissime peto,
vt votum & gratulationem hanc, eo quo scripsi ani-
mo sincero, accipias, & munusculum hoc, si digni-
tatem spectes, perexiguum: Si vires & laborem me-
diocre: si animum amici magnum, boni
consulas.

Soli Deo ter trino & vno Opt. Max. laus,
honor & gloria.

quem ad
e & per
tibus &
alem vi
habitu
se pote
is hone
imul ei
ure ha
od cum
nunc o
e orna
ore Tu
um olim
erluffi
uffi Tre
o fundo

lelia &
e octuum
s & ge
ra senta
ropagi
um om
em Do
ne peto
ipfi ano
i digni
em me
ni


us,


TVBINGAE.




Per Alexandrum Hockium, Anno salutis:
M. D. LXXIX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN











2704

Th
956